

na: omnis igitur, qui invenerit me, occidet me. Quibus verbis nullus locus fuisse videretur, si nullam tunc, nisi Adæ Familiam, toto Orbe existitisse supponamus. Quos enim timuit Cain, postquam intellexit, palam esse, quod perpetraverat, Fratricidium? Timuit certe Judices suos, & Leges, quibus capite plectendus erat. Unde legimus, fugisse illum more Reorum, fugisse, inquam, in aliam Regionem, ad Orientalem scilicet Plagam Eden. Alii igitur tunc temporis erant in Orbe Homines præter Adæ Familiam, Quinimo has ipsas Orientales Plagas, in quas Cainus scelestis sui conscientia tactus aufugit, aliis Hominibus frequentatas fuisse necesse est: quandoquidem fugienti posuit Dominus Cain signum, ut non interficeret eum amicus, qui invenisset eum, Ecce enim illum Signo notatum voluisset Deus, ne occideretur, si vacuæ Hominum fuissent Orientales illæ, in qua aufugerat, Regiones?

Auget Difficultatis pondus, quod addit ea occasione Flavius Josephus, Apostolicorum temporum Scriptor Hebræus lib. Antiquitatum Judaicarum cap. 3. Cainum scilicet profugum ad Orientalem Plagam Eden non in melius vitam mutasse, sed facta facinorosorum Hominum manu, facultates domesticas per vim, & rapinas accumulasse: accitis, inquit, undecumque latrociniis, & nequitia Sociis, Magister illis ad facinorosam vitam effectus est. Quod sane de aliis Hominibus, quam de ipsomet Filiis, ac Nepotibus intelligere necesse est. Ad quid enim proprios Filios, ac Nepotes in mutam perniciem armasset? In quos vero latrocinia exercere potuisset in illa Orientali Plaga Eden, si tantum erat Terrarum vacuum quantum illi profecto ponunt, qui Adamum, e jusque recens natos Filios duntaxat agnoscunt Mundi hujus habitatores?

Accedit & quidem longe gravior, quod eodem cap. 4. Genesias notat Moyse, Cain Civitatem ad Orientem ædificasse, & vocasse Nomen ejus ex Nomine filii sui Henoch. Quibus vero Architectis, quibusve Fabris Urbem potuit Cainus ædificare? Quibus illam Civibus communire, si nulli præter paternam Familiam, quam deseruit, toto terrarum Orbe Homines erant? Sed nec ex paterna Familia Colonia illum duxisse verisimile est, dum aufugit, quæ recens conditam Urbem habitarent, cum ille erraret extorris, & profugus, femotus a suis ad Orientalem Plagam Eden, ubi suæ hujus Civitatis fundamenta posuit. Cur etiam conditam Civitatem ex Nomine filii sui Henoch appellavit, nisi ut illam a reliquis Orientalis Civitatis fecerneret? Plures ergo jam tunc Civitates erant, plures in Orbe Populi aliunde, quam ex Adamo, propagati.

Audio qui dicant, ut ab eo nodo sese expediant; Civitatem hanc Anno circiter post creatum Adamum quingentesimo a Caino conditam esse; ut & hoc pacto propagandæ, ac diffundendæ Adamicæ Stirpis inducias habeant, ex qua propagati Homines Civitatem illam inhabitarent. Verum longe aliter res se habere videtur. Urbis enim fundamenta posuit Cain, statim atque natus est illi Henoch primogenitus suus; ex cuius Nomine eam appellatum voluit, ut ejus ortum celebraret: cognovit autem Cain uxorem suam, (inquit Scriptura) que concepit, & peperit Henoch: & ædificavit Civitatem, vocavitque Nomen ejus ex Nomine filii sui Henoch. Quis autem facile credat, Cainum, quem Anno primo post creatum Adamum genitum esse nemo nescit, annum demum quingentesimum expectasse, ut uxorem cognosceret, daretque operam Liberis, ea Ætate temporum, qua res uxoria, filiorumque procreatio in præcepto erat?

Neque etiam illud ad præsens omittendum est, quod in ejusdem Systematis confirmationem maxime valet; Adami Filios, Cainum, & Sethum Uxores duxisse, habitaque cum illis copula Liberos procreasse, quo necdum tempore Filias ullas ab Adamo genitas memorant Sacre Litteræ; ut plane consequens videatur, eos ex alia, quam Adami Stirpe Uxores sibi copulasse. Maxime vero, cum nec Sorores quidem suas, etsi eas jam tunc ab Adamo genitas poneremus, connubio sibi jungere potuissent; ipsa nimirum Naturæ Lege repugnante, cujus (in primis saltem Capitibus) nulla a Deo fieri potest relaxatio.

Sed & antequam Cainus Fratrem occideret, dumque in illum post oblatum Sacrificium iratus est vehementius, Judices in Mundo fuisse jam constitutos, erectaque Tribunalia ad judicia capitalia exercenda, adeoque magnam ante id temporis Hominum multitudinem Mundum istum incoluisse, significat aspera illa Dei in Cainum animadvertio Genes. 4. nam si bene egeris, recipis? Sin autem male, statim in Foribus peccatum tuum aderit? Quid enim hoc est, peccatum in Foribus adesse, nisi peccatum ad Tribunalia, Judicisque Causarum capitalium judicandum, puniendumque deferri; propterea quod olim apud Judæos in Foribus Civitatum pro Tribunali sederent Judices, ibidemque judicia exercerent sua: quod deinceps, translatis Tribunalibus, in Foro fecere Romani: unde sunt illæ frequentes Sacris in Litteris loquendi formulæ, Proverb. 31. Nobilis in Foribus Vir ejus, quando sederit cum Senatoribus Terræ: Job 29. Quando procedebam ad partem Civitatis, & in Platea parabant Cathedram mihi: Psalm. 126. non confundetur, cum loquetur inimicus suis in Porta; nempe in Judicio, dum ad illud ab Æmulis provocabitur. Magna itaque ante id temporis erat in Mundo Hominum multitudo, quorum Causis expediendis, judicandisque erecta jam fuerant Tribunalia.

Negotium adhuc gravior facessit hac in parte Divi Augustini Sententia de Regionibus Antipodis lib. 16. de Civit. Dei cap. 9. magnumque Præadamitarum Sententiæ præsidium confert. Is scilicet oppositam nobis Partem, quam Antipodam dicunt, habitari negavit potissimum Argumento ductus, quod profus incredibile videatur, Homines ab uno Adam in Palestina propagatos in oppositam Terræ Partem, Oceani immensitate trajecta, navigasse: nullamque hujus rei adeo memorabilis mentionem vel in Sacris, vel in prophetis Historiis fieri: Nimis absurdum est, (inquit SS. Doctor) ut dicatur, aliquos Homines ex hac in illam Partem, Oceani immensitate trajecta, navigare, ac pervenire potuisse, ut etiam illic ex uno illo primo Homine Genus institueretur Humanum. Quin etiam usque adeo octavo Sæculo ea inolevit Opinio, ut Zacharias Romanus Pontifex Episc. 10. ad Bonifacium, perversam, & iniquam Doctrinam vocaverit, quæ ponit Regiones Antipodas Hominibus habitatas; quod nempe, illa semel facta Hypothesi de Antipodarum Regionum habitatione, vix intelligi queat, Homines Partium illarum primos incolas ex Adamo prodidisse, illucque ex Palestina absque navigio pervenisse. Cum itaque habitari Regiones Antipodas certo jam constet, ex quo Tempore Ligur ille, Christophorus Columbus, Novi Orbis detector famosus in eam Terræ Partem classem applicuit, Christianique Fidei aditum patefecit, horum alterum fateri necesse est; aut Homines, qui eos terrarum tractus primitus incolere, ab altero, quam Adami Scripte prodidisse; quod necessarium arbitratum est Augustinus, si habitatae Hominibus ponerentur Regiones Antipodæ; aut certe Sacram aliquod

vel

vel prophæticam antiquæ memoriæ proferendum esse Monumentum trajecti quondam ab Adæ Nepotibus totius Oceani, ut ad oppositas nobis Terræ Partes appellerent; quod tamen nupiam invenitur. Equo vero pacto tam audax facinus attemptasset Adæ Nepotes; cum navigandi Maris Artem ante Noachum incognitam profus fateantur Ecclesiæ Patres; ac tunc primum, Deo monstratore, atque Magistro, excogitatum fuisse, dum Arca constructa cœpta est Anno post creatum Adamum millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto?

Aditipulatur eidem Præadamitarum Systemati prophæticæ Gentilium Historiæ: secundum quæ Mundum longo sæculorum tractu ante Adamum existisse necesse est, ut ii numerari, ac recentiori anni possint, quos filius Imperii Chaldæi, Ægyptii, ac Sinesis asseribunt. Et quidem, si Ciceroni fides est lib. 1. de Divinatione, Chaldæi, atque Ægyptii Astronomiæ Scientiam longinquitate temporum innumerabilibus pene sæculis consequuti putantur: & Laëtantius lib. 7. Institutionum cap. 14. asserit, quod Plato & multi alii Philosophorum, cum ignorarent originem rerum, supremamque illud Tempus, quo Mundus esset effectus, multa millia Sæculorum fluxisse dixerunt. . . . sicut fortasse Chaldæi, qui, ut Cicero tradidit in lib. de Divinatione primo, quadringenta septuaginta millia annorum Monumentis comprehensa se habere delirant. Cum tamen usque ad Laëtantii Tempora nondum sextum millesimum annum esse conclusum, ibidem ipse testetur.

Stupendum, quod de Ægyptiorum Imperio ferunt. Salmastius Auctor gravissimus vetustioris cusulpiam Historici mentionem ingerit, qui triginta Dynastias, seu triginta Familias Ægyptiorum Regum suis Annalibus prodidit; easque Familias per tres annorum Myriades perdurasse scripsit. Myriades vero singulas computavit milles decies millia cum tribus annorum millibus. Quia etiam refert Plinius Secundus lib. 35. Naturalis Hist. Editionis Parisiensis Francisci Mægus pag. 177. Ægyptios gloriari solitos, Artem pingendi sex annorum millibus in Ægypto floruisse, antequam transiret ad Græcos.

Jam quid de Sinenfium Opinione circa Mundi initium dicam? Sufficit nobis, quod Julius Scaliger a Nat. Alexand. laudatus (Dissert. 3. de Adamo, & Heru) refert; nimirum quod Annus, quo Temporum Emendationem scribebat, qui erat a Christo MDXCIV., fuerit apud illos a Conditu rerum, seu a Mundi Creatione octingentes octogies millesimus novus. Quæ omnia profecto si veritati nitantur, quot erunt, amabo vos, superiora Adamo Sæcula numeranda?

Haud me fugit, Viros nonnullos Eruditos, ut eo se nodo exsolverent, Annos Menstruos commentos esse, qui scilicet singulis mensibus finirentur: eaque etiam ratione interpretari solitos esse, quæ de Patriarchis in Genesi recitantur; quorum alii octingentos ætatis annos, alii nongentos, & eo amplius attingere referuntur; quod cum illis incredibile videatur, si eorum Anni nostris omnino similes fuerint, Menstruos duntaxat annos, singulis scilicet Lunis comprehensos interpretari maluerunt. Verum nec ii se laqueo extricant: cum ne quidem, si Annos Menstruos poneremus, Ægyptiorum Myriades tam multas, tamque stupendas ab Adamo colligeremus; quarum qualibet juxta vetustioris illius Historici computum, annorum milles decies millia complectitur cum tribus annorum millibus. Aliunde etiam perspectum est, Patriarcharum Annos, non Menstruos, sed nostris plane similes extitisse; duodecim videlicet mensibus constantes: quod ex Historiæ Noe Genes. 7. liquet, ubi Diluvium Anno sexcentesimo vitæ Noe constructum Tom. IV.

tigisse legitur; Arcam vero requievit supra montes Armeniæ Mense septimo, vigesima septima Die mensis; aqua autem decrevissent usque ad decimum Mensem. Quæ sane perperam notarentur, nisi Anni Noe, non secus ac nostri, menses circiter duodecim complexi fuissent; quilibet quoque Mensis dies circiter triginta. Hos ipsos primorum Patriarcharum Annos, non Lunares, atque Mensiles, sed Solares, nostrisque similes extitisse, ex illorum mensibus differtissime constat. Horum enim aliqui filios genuisse leguntur Genes. cap. 5. anno vitæ sexagesimo quinto, ut Malalel, & anno septuagesimo, ut Cainan; ne quid de cæteris dicam. Quod quis quæso de Annis Lunaribus, seu de Mensibus dictum existimet? Quasi vero mense vitæ suæ sexagesimo quinto, aut septuagesimo, hoc est, Anno Solari circiter quinto vel septimo generationi vacare quis possit. Sed de his alias.

Is Præadamitici Systematis Fundamentis extremum sigillum ponit Apostoli Sententia ad Romanos, quæ Virorum Eruditorum ingenia diu, multumque torfit: Usque ad Legem enim peccatum erat in Mundo: peccatum autem non imputabatur, cum Lex non esset. Quo loco tempus aliquod agnoscit Apostolus, quo peccatum in Mundo erat, nec tamen imputabatur; quod nulla Lex esset, qua Homini vetaretur. Porro si res ab Adami Ætate penitentem, peccatum semper est imputatum, ac etiam severissime castigatum. Hinc Adamus ipse de Paradiso ejectionis est, quod Dei Mandatum transgressus esset; Cainus, occiso Fratre, peccatum agnovit, & sibi imputatum iri factus est, dum ait: Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear (Genes. cap. 4.): Lamech Caini Abnepos post occisum Adolescentulum ultionem Dei expertus est: Diluvio demum perit universus Orbis, quod viam suam omnis Caro corrupisset. Quid ergo? superiora Adamo Tempora quærenda veniunt, ut peccatum non imputatum, non castigatum inveniamus; dum videlicet Lex illa non esset, quam Adamo primum a Deo datam legimus Genes. cap. 2. in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris: sic ut alius Apostoli sensus esse non possit præter istum: usque ad Legem Adamo datam peccatum erat in Mundo; peccatum autem non imputabatur, cum Lex non esset: atque adeo ante Adamum Homines extitere, qui peccarent, nec tamen admitti peccati penas luerent, propterea quod Lex nulla obstringebatur. Sunt hæc nuper excogitata Præadamitarum Fabulæ Momenta potissima: quæ usque adeo Virorum quorundam Eruditorum animos occuparunt, ut eam adornatis juxta molis Lucubrationibus vindicare haud veriti sint. Quantum illi a vero aberrarint, quamque inutilem operam locarint, proxima Exercitatione demonstrabimus.

PRÆLECTIO VI.

Catholica Veritas contra Præadamitarum Errores statuitur, vindicatur.

Uo Capite versetur Præadamitarum novissimus Error, quibusve nitatur Fundamentis, in antehabitis declaravimus. Illud nunc officii nostri exposcit ratio, ut ad afferendam in oppositum Catholicam Veritatem studium convertamus. Quocirca præmoneo, Præadamitas, quibuscum nobis Lis est, alios ante Adamum Homines comminisci, qui Mundum istum incoluerint, binasque diversorum Protoparentum Creationes fabulari: unam quidem cap. 1. Genes. recensitam; alteram cap. 2. Illam, qua conditus fuerit Gentilium Pater, & Capur, cujus & Nomen,

H 2

men, & Posteros silentio Moyſes prætermiſerit; iſtam, qua Judaica Genſis Protoparens, Adami nomine nuncupatus in lucem prodierit; illam demum longo annorum, ac ſæculorum tractu iſta priorem.

Ut ergo expoſitum Præadamitarum Errorem ex directo impetamus, duo nobis veniunt demonſtranda: primum; nullos ante Adamum Homines exiſtiſſe, illumque ipſum Hominem, cujus procreatio cap. 1. Geneſeos deſcribitur, non alium eſſe ab Adamo, Judæorum, ut illi quidem vocant, Protoparente, cujus efformatio prolixius cap. 2. deſcripta eſt: alterum; tantum abeſſe, ut Gentilium Protoparens Adami creationem anteverterit, ut potius Gentiles ipſi expoſuerint Adamo prodierint; & non niſi poſt longos admodum ſæculorum tractus, ac etiam poſt Noe-tici Diluvii tempora. Jam quæſo favete animis, favete auribus. Ac primo quidem non imus inficias, Moyſen univerſi Orbis Creationem enarrantem cap. 1. Geneſeos, ac deſcriptionem creaturæ aliquem Hominem, ejuſque Conjugem dicere: rum ſubinde cap. 2. Adami, & Hevæ Formationem prolixè admodum, atque diſtinctè enarrare, totumque formationis Apparatum, & Pompam minutim recenſere. Verum non advertunt imprudentes, ſecundo illo Geneſeos Capite meram anacephaleſim, rerumque an-reſtitarum repetitionem contineri; quæ id ipſum, quod primo Capite de creatione Adami proſuſſus dixerat Moyſes, ac veluti propoſuerat, prolixius poſtmodum explicat, & accuratius. Id ex verſu 4. ejuſdem ſecundi Capitis aperte colligas. Ibi quippe Creationem Cæli, & Terræ, Plantarumque omnium, de quibus dixerat cap. 1. denuo deſcribit: *Iſte ſunt, generationes Cæli, & Terræ, quando creata ſunt, in die, quo fecit Dominus Deus Cælum, & Terram, & omne virgultum agri, antequam crearetur in terra, omnemque herbam Regionis, priuſquam germinaret.* Sicut ergo non alii Cæli, non alia Terra, non alia Planta eo ſecundi Capitis verſiculo memorantur, quam quæ Capite primo deſcripta ſunt; ita non alterius in eo Capite meminit Hominis, dum ait: *formavit igitur Dominus Deus Hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vite, & factus eſt homo in animam viventem;* ſed factam antea Narrationem creationis ejuſdem Hominis reſumens Moyſes, eandem accuratius cum ſingulari Adjuſtis deſcribit; ob eam videlicet rationem, quod Operum Divinorum præſtantiffimum fuerit homo, cujus gratia catera condita ſunt univerſa.

Iſt robur addit, quod legitur cap. 5. Geneſeos. Recoleſ ſcilicet Moyſes, quæ Capite primo de Homine condito obiter inuenerat, Adamum illum appellat, ut videas eundem illum eſſe, qui Capite primo, & qui Capite ſecundo formatus aſſeritur; non alterum Adamo priorem, uti Præadamita ſubſtantur: *Hic eſt Liber generationis Adami. In die, qua creavit Deus Hominem, ad ſimilitudinem Dei fecit illum: Maſculum, & Formam creavit eos: (quæ ipſamet primi Capitis verba fuerant) & benedixit illis: & vocavit nomen eorum Adam in die, quo creati ſunt.* Qui ergo Capite primo creatus innuebat, Adam eſt; idem ſcilicet, qui ſecundo Capite prolixius deſcriptus eſt.

Ejuſdem Præadamitarum Syſtematis vanitatem apertius offendunt nonnullæ in Capite ſecundo & quartum Obſervationes minime contemnendæ, quibus evincitur maxime, nullos ante Adamum Homines exiſtiſſe, qui Mundum iſtum incoluerint. Primo quidem: Adami formationem enarraturus Moyſes ita præſtat: *Et homo non erat,*

*qui operaretur terram: quibus verbis ſua conſtituta veritas non poteſt, ſi alii ante Adamum conditi Homines ponantur, quorum diſtinctam, prioremque originem Capite primo deſcripſiſſet: ſi quippe Homines terram dubio procul excoluiſſent, ut ſibi vitæ neceſſaria compararent. Secundo: obſervat Moyſes, Adamum univerſis Animantibus nomina primitus indidiſſe, dum hæc ad ipſum Dei juſſu adducta ſunt: *formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis Animantibus Terræ, & univerſis Volatilibus Cæli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea: Omne enim, quod vocavit Adam anime viventi, ipſum eſt Nomen ejuſ.* Jam, ſi Homines Adamo priores exiſtiſſent, qui illum longo annorum tractu præceſſiſſent, verſimile non eſt, ipſos Animalia univerſa anonyma fuiſſe reliquos: cum & ipſi Ratione, atque Sermone uſi eſſent, non minus quam Adæ Poſteri. Tertio: Artium inventores non alios fuiſſe notat Moyſes cap. 4. quam Adami Poſteros; quin etiam, qui cujuſque Artis fuerit Auſtor, atque Inventor, nominatim obſervat, cum tamen ſine Artibus civilem vitam ducere Præadamita nequiſſent. Ut igitur antea Artes non erant, ita nec Homines.*

Neque vero advertunt nugivendi Fabulatores, quantum Moſaice Narrationi repugnet, dum Adamum, Judæorum, ut ipſi quidem vocitant, Protoparentem a Deo conditum dicunt poſt illum Hominem primum, cujus formatio Capite primo narrata eſt. Enimvero ſex priorum dierum Operibus abſolutis, conditoque Homine illo primo, deinceps Deus a Creatione ceſſavit, ut nullus ſubinde alterius Hominis creationi detur locus. Imo & Sabbathum ob illam ceſſationem inſtituit a Judæis religioſe ſervandum: *Igitur perfecti ſunt Cæli, & Terra, & omnis ornatus eorum: Complavitque Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat: & requieſcit die ſeptimo ab univerſo opere, quod pertraxerat. . . . & ſanctificavit illum: quia in ipſo ceſſavit ab omni opere ſuo, quod creavit Deus ut faceret.* Adamum igitur Judæorum Protoparentem, ut vocant, poſt illum diem ſeptimam Dominicæ quieti conditum fuiſſe Fabula eſt. Equid enim attinebat, Dominicum illud Sabbathum tanta religione a Judæis obſervari, & imitatione Dominicæ quietis ab ea Gente tanto cultu celebrari, ſi Adamus ipſorum Pater, & Caput ante Sabbathum illud conditus non eſt; ſed novo ſubinde operi Deum indulgere neceſſe fuit, ut illum de limo formaret? Certe ſi ita ſe res habuiſſet, non video, cur non ad Gentiles potius, quam ad Judæos Obſervantia Sabbathi pertinuiſſet?

Gravia ſunt hæc; ſed ſunt eorum, quæ diſturus ſum, comparatione leviſſima. Ubique paſſim Divinis in Litteris unus, idemque homo vocatur totius Humani Generis Caput; ex quo uno Homines univerſi originem duxerint: ſic *Supient. 10. Qui primus formatus eſt a Deo Pater Orbis terrarum: ſic & Actuum 17. fecit Deus ex uno omne Genus Hominum inhabitare ſuper univerſam faciem Terræ.* Quæ omnia non nutare modo, ſed & omnino ruere neceſſe eſt; ſi duo ponantur Humani Generis Capita, ex quorum uno Gentiles, ex altero Judæi ſeorum propagati ſint; duo Protoparentes, quorum neuter ab altero originem duxerit; ſed ambo ex æquo a Deo ipſo nullo medio prodierint.

Sed nihil æque Præadamitarum Errorem evertit, ac Fides de peccato Originali, quam Utraque tam Orientis, quam Occidentis proſequitur Eccleſia: *Per unum Hominem (inquit Apoſtolus ad Rom. 5.) peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes Homines mors*

pertranſiit, in quo omnes peccaverunt. Et infra: *ſicut per unius delictum in omnes Homines in condemnationem, ſic & per unius juſtitiam in omnes Homines in juſtificationem vite.* Porro ſi Judæorum tantum primus Parens cenſendus eſt Adam, non autem univerſum omnium proſus Hominum Pater, & Caput; qua forte omnes, ac ſinguli proſus Homines peccatum Originis ex illo ipſo contraxiſſent? Quomodo labes illa Originaria ad tot perveniſſet genere, & ſtirpe diverſos, qui nihil ab Adam habuiſſent, nihil ex ejus vitiatō femine derivaſſent? Qua ratione omnes, ac ſinguli Homines in illo uno veluti Homo fuerunt, ut eo peccante & ipſi peccare cenſentur; ab illoque peccatum, ut vitiatæ Naturæ morbum, fatali neceſſitate contraherent?

Perdidit hujus Argumenti pondus Auſtor Syſtematis Præadamitarum; qui uti Originalis peccati Fidem inſicari minus audeat, ita Fabulam ſuam cum eo Eccleſiæ Dogmate componere, & conciliare nititur multis modis. Contendit itaque, neceſſe non eſſe, omnes Homines ab Adamo originem ducere, ut omnes in Adamo peccate cenſentur: cujus rei ſerviſſimam hanc rationem obtrudit; quod ſcilicet unius peccatum imputari alteri poſſit, tamen ſuam ab ipſo origine nullatenus ducat; ſed alia de cauſa, alioque titulo. Sic peccatum Regis imputatur quandoque Populo: unde & illud Poetæ Diſtum invaluit: *quidquid delictant Reges, peſſuntur Achivi.* Ita plane Sedecia Regis perjurium Judæis omnibus uſque adeo imputatum eſt, ut ob id vincti, ac dediti in Babylonem adducti ſint. Peccatum etiam unius de Populo totum plerumque Populum reatu adtingit: qua de cauſa in ſacrilegio Achan, qui de anathemate uſurpaverat in devaſtatione Jericho, totus Israel peccate dicitur eſſe *Joſue cap. 7.* & ob peccatum Gabaonitarum, qui Levitæ Concubinam ad mortem uſque compreſſerant, tota pene Tribus Benjamin extincta, deletaque eſt. Quidam ergo (colligit Præadamitarum Fabulator) fieri quoque poſſit, ut omnes in Adamo Homines peccate cenſentur ob aliquam cum illo Communionem, Societatemque myſticam, ac civilem; tamen non omnes ab illo carnalem originem duxerint?

Verum ariolato, & ludic vaniſſimus homo tot illis congeſtis Exemplis. A Catholica quippe Fide proſus alienum eſt fabulari, Homines ſola Adamitici peccati imputatione conſtitui peccatores: cum contra vero omnino peccato natura Filii iræ naſcuntur; peccato, inquam, quod unicuique naſcendo ſit proprium, & in ſingulos carnali generatione tranſuſum; animam reſiſſa inſiciens, veroque reatu commaculans; non externa duntaxat imputatione, ut in obſectis Scripturarum Exemplis eſſectum eſt. Quod nos, Deo adante, probabimus, dum de Originali peccato ſermo erit. Damus ergo, peccatum unius imputari alteri poſſe morali quidam, & externa imputatione, quanquam alter ab altero originem minime trahat; ut in aliis Exemplis. At repugnat, peccatum unius tranſuſum in alterum, uti proſecto peccatum Originale tranſuſunditur, niſi ab altero origine trahat. Peccatum unius alteri imputatum ratione Communicationis alieni, ſeu myſticæ, ſeu civilis poenam duntaxat temporalem iſi inferit, quibus occulto quodam judicio imputatur: at peccatum Originale poenam ſecum æternam aſſert. Mortalibus univerſis; æternam ſcilicet Divini Conſpectus privationem: ut de æterna ſenſibili poena nil dicam, de qua mihi loco ſuo ſermo erit.

Hoc ergo præcluſo Suffragio, quo Peirerius hujus decretorii Argumenti vim eludere niteba-

tur, Alſus non ita pridem alterum excogitavit Effugium, ut Eccleſiæ Fidem de peccato Originali cum Præadamitarum Syſtemate conciliaret. Quare reponit, omnes quidem Homines peccatum Originale ex Adamo contrahere, non quod ex Adamo omnes omnino Homines primam olim originem traxerint; ſed quia nulli jam extant eorum, qui ex altero Protoparente ab Adamo diſtincto ſuam originem derivaſſent; ſolique poſt Diluvium procreati ſunt Homines, qui ex Adamo primam originem ducunt: quia deletō per Diluvium Humano Genere univerſo ex duobus Protoparentibus uſque tunc propagato, ſola Noe Familia ex Adamo recta Majorum ſerie deſcendens evaſit incolumis, Humanumque Genus filiorum procreatione reſtituit; & in totam Poſteritatem, quæ ſola deinceps Mundum replevit univerſum, peccatum Originale tranſmiſit.

Verum nec ea quidem via Eccleſiæ Catholica Fides de peccato Originali cum Præadamitarum Syſtemate conciliatur; quandoquidem Catholica Fides docet, non modo, qui ſuperſunt hodie, quique poſt Diluvium ex Noe-chi Familia procreati ſunt, Homines univerſos Originale peccatum ex Adamo contrahere; ſed & omnes omnino, quacumque ætate vixerint, etiam ante Diluvium; quippe qui peccatores, & mortales, ſeu Legi mortis ſubditi fuerint. Apoſtoli quippe vox eſt: *per unum Hominem peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors.* Sapientis quoque Sententia eſt: *Creavit Deus Hominem inexterminabilem. . . . invidia autem Diaboli mors introiit in Orbem terrarum: Diaboli, inquam, Adam immortalē a Deo conditum ad peccatum pertrahendo, mortemque illi peſſimam inferendo. Cum itaque Præadamita Fabulatores ſuos illos Homines (quos ex alio, quam Adamo Protoparente prognatos dicunt) & peccatores, & mortales fuiſſe fateantur; Originalis peccati Fidem labefaciunt, dum eos Originali peccato infectos non eſſe concedere compelluntur. Et hæc de primo Erroris Capite, quod mihi ſumpeſeram reſolendum.*

Jam vero quam procul abſit a veritate alterum Præadamitice Fabulæ Caput, quod me pariter conſtitutum ſpondi, non eſt, cur hic diu morer. Tantum enim abſit, ut Gentilium Protoparens, eorumque Imperia Adami creationem anteverterit, ut potius e contrario exploratiſſimum ſit, Imperia illa nonniſi poſt Diluvium Noeticum incepiſſe, poſt Annum ſcilicet ab Adami creatione milleſimum ſextcentimum quinquageſimum ſextum.

Et vero certant apud Gentiles pro Antiquitatis gloria Babylonii, Ægyptii, & Sinenſes: omnes tamen Diluvio poſteriores perhibentur: quanto magis poſteriores Adamo?

Quod enim ad Babylonios attinet: primum apud eos imperitaſſe Nemrothum, hujusque Imperii fundamenta poſuiſſe, teſtatur Spiritus Sanctus *Geneſ. cap. 10. Nemrod cepit eſſe potens in Terra. . . . ſuit autem principium Regni ejus Babylon.* Unde *Michæa cap. 5.* tota Babylonis Regio Terra *Nemrod* appellatur. Nemrod porro nonniſi Noe Pronepos erat: Noe quippe genuit Cham, Cham genuit Chus, Chus genuit *Nemrod Gen. 10. v. 8.* Ille ipſe eſt, quem prophani Scriptores Belum appellant: cui etiam conditæ Babylonis gloriam vulgo tribuunt. Tamen Nonnulli per errorem gloriam illam Semiramidi vindicant; inde forte deluſi, quod illa aggeres magnæ molis extruxerit, quibus Euphratem coercuit, & Babylonem lateritiis muris cinxit, juxta illud Ovidianum, ubi dicitur . . . *altam coſtilibus Muris cinxiſſe Semiramis Urbem.* Quanquam etſi fundata Ba-

bylonis gloria Semiramidi danda esset, nihil id nobis occurreret, sed prodesset multo magis, cum sit Semiramis Nembrotho, seu Belo posterior.

Qui Regni Aegyptiaci initia alius petunt, a Menos, seu Mesraim exordium ducunt; ut Diodorus Siculus, Herodorus, Eratostenes, Manero, Julius Africanus, Eusebius: at Mesraim non nisi Noe Nepos, & Chami Filius erat Gen. 10. v. 6. qui a Phœnicibus in Deorum numerum relatus est, & sub Saturni Nomine Sacros ab illis honores obtinuit.

Sinarum Imperii initia definire quamvis sit difficillimum, de quibus nihil in Sacris Litteris, nihil in Præcis Historiis reperire est; propterea quod si alio sub Sole positi sitiantur illacrymabiles; si qua tamen Ludovico de Comitibus fides est Tomo 2. Documentorum ad Historiam Sinarum pag. 137. non nisi a Filiis Noe, qui in Asiam Orientalem penetrarunt, ortum habuit Sinarum Imperium.

Figmenti itaque loco habendum est Systema Præadamitarum; & ex eo potissimum Capite explorandam, quod Gentilium Imperia Adamo superiora fabuletur, quæ non nisi post Noetici Diluvii tempora cœpisse notissimum est.

Quibus itaque positis, quotquot vel levem Scripturarum Veteris Testamenti notitiam habent, illud profecto norant, tantum abesse, ut duo fuerint Humani Generis Capita, Protoparentes duo a Deo distinctis temporibus procreati, ex quorum uno Gentiles primum, ex altero subinde Judæi prodierint; ut potius certo certius sit, eam Judæorum, atque Gentilium distinctionem non nisi post Diluvium invaluisse, & Utrisque perinde, Gentiles scilicet, & Judæos ex Noe, illustri Filiis, ac Nepotibus prodidisse Annis post Diluvium amplius quadringentis, a Creatione Adæ amplius bis mille. Ex quo enim tempore Abrahamum ex Ure, Chaldæorum Urbe vocavit Deus, eumque, illustre Posteros ex Isaac per Jacob nescituros elegit sibi in Populum, tunc primum discretio illa fieri cœpta est Judæorum, atque Gentilium: tunc primus electus a Deo Populus, & Populus Hebræus illi fuit dicti; subinde Israelitæ; postremo Judæi de more nuncupati: illi vice versa, generali nomenclatione Gentiles, Nationes, seu etiam Ethnici, (quod parisi significationis Græcum Nomen est) ac tandem Pagni sunt appellati. Ante id temporis ignota distinctio erat, ignota Nomina, Insufficitas itaque plenum est, quod Præadamitici Systematis Fabricator obradit; aliam Gentilium, aliam Judæorum Protoparentem extrixisse; ac illum quidem longo sæculorum tractu istam alterum præcessisse. Et en quam futile, ac falsum sit Præadamitarum Systema, quorum quidem Momenta Deo favente in sequenti diluimus.

PRÆLECTIO VII.

Præadamitici Systematis Momenta reselluntur.

Asserta nuper, multiplicique Argumentorum genere confirmata Catholica Veritate advertit Præadamitas Fabulatores, qui alios ante Adamum Homines extitisse, Mundumque incoluisse comminiscuntur, illud unum ad præsens reliquum nobis est, ut Momenta partim ex Sacris Litteris, partim ex prophetis Scripseribus delibata, quibus suum illud Figmentum adstruere satagunt, præsentem Exercitatione diluamus. Quantum hæc luci præferant, in antecessum demonstravimus, dum ea, quo solent a Suis apparatus explicari, vestris oculis litteremus. Nunc quam

evanidam speciem referant, detracta larva, videbitis.

Primum, si bene meministis, ex Caini Adæ primogeniti lamento correbatur, qui, perpetrato Fratricidio, timore perterritus Deo minitanti genæbundus respondit: *Ecco ejcis me hodie a facie Terræ . . . ero vagus, & profugus super Terram: omnis igitur qui invenerit me, occidet me; Genes. cap. 4.* Quibus verbis nullum locum futurum ajunt Præadamitæ, si nulla tunc nisi Adæ Familia toto Orbe extitisse supponatur: sic enim nihil habiturus erat ille, quod ab Hominibus capiti suo timuisset. Verum speciosa Difficultas illa evanesceat, si vel obiter observetur, Abelem a Caino occisum esse Anno a Mundi Creatione centesimo trigesimo. Sic enim, ut infra demonstrabo, incredibile non est, per annos triginta supra centum ad multa Hominum millia ex Adam, ejusque Filiis, ac Nepotibus propagatum esse Genus Humanum; ut iusta de causa capiti suo timere potuerit impius Fratricida. Porro Abelem a Caino duntaxat occisum esse Anno Mundi centesimo trigesimo, ex mutua duorum Scripturæ locorum collatione aperte liquet. Etenim *Genes. cap. 4.* Seth, tertius Adæ Filius positus dicitur pro Abel; seu Adamo, & Hevæ datus a Deo ad solatium matris, quem ex Abelis nece conceperant: *Cognovit quoque abbas Adam, inquit Scriptura Sacra, Uxorem suam, & peperit Filium, vocavitque nomen ejus Seth, dicens: posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain: Cap. verò 5. v. 3.* legimus, Seth genitum esse Anno centesimo trigesimo vitæ Adami: *vixit autem Adam centum triginta annis: & genuit ad imaginem, & similitudinem suam, vocavitque nomen ejus Seth.* Si ergo tunc circiter occisus est Abel, quando natus est Seth; Seth vero Anno centesimo trigesimo natus est, liquet profecto, Anno centesimo trigesimo Fratricidium perpetratum esse a Caino. Cum ergo per tot annorum decursum adeo jam propagatum esset Genus Humanum, mirari minime subit, Cainum scelus sui horrore percussus capitis periculum timuisse ab Hominibus ex Adami Familia propagatis. *Potuit, ut inquit D. Ambrosius lib. 2. de Cain, & Abel cap. 9. & Parentes parvitas timere, qui docuerat parricidium posse committi. Poterunt enim & Parentes de Filio discere, quod didicerunt Posteri de Parente.* Idque propterea causæ est, cur in eo Signum posuerit Deus, ne quis profugum Fratricidam impune occideret.

Nihil magis officit, quod ex Josepho Scriptore celeberrimo addebatur, Cainum scilicet profugum ad Orientalem Plagam, acitis undequaque latrociniorum, & nequitia Sociis, Magistrum illis ad facinorosam vitam effectum esse. Hinc quippe minime colligas, alios, quam ex Adami Genere Orientales illas Plagas incoluisse. Potuit siquidem Cain facinorosorum Hominum manum ex Familia sua aggregare, eisque ad prædas, & latrocinia Magister effici; non quidem statim atque Abelem occidit, illucque aufugit, sed longo post tempore: quippe qui ad octingentos & amplius annos vitam produxit. Quo tempore mirum, quantum ex uno primo Homine Adam propagari potuerit Genus Humanum. Id maxime attentare potuit nefarius Homo, cum ex Setho fratre suo propagati sunt Viri pii, Filii Dei communiter dicti: dum enim Cain, secundum Sanctorum Patrum Opinionem, Terrenæ Civitatis, idest eorum, qui secundum Hominem vivebant, Caput malitia sua effectus est; Civitatis Dei, eorum scilicet, qui secundum Deum vivebant, Caput, & propagator alter ab Adam constitutus est Sethus. Harum vero Societatum dis-

cre-

cretione facta, inter Cives Terrenæ Civitatis, ac Cælestis diffensionem perpetuam excitavit morum, studiorumque disparitas. Potuit ergo tunc Cainus cum suis in Sethitarum Fines excurrere, & prædas agere; illoque, tamen Nepotes suos, hostilem in modum persequi, atque lacessere; quod nempe jam essent cognatione remotissimi; imo nulla jam cognatione conjuncti. Neque enim incredibile est, eum, qui Fratrem occiderat, Nepotes persecutum esse, eorumque bona dilapidasse, maxime remotæ adeo, vel nullius cognationis.

Non abfimili facilitate diluuntur Præadamitarum Observations in v. 17. capiti 4. *Genesios*, ubi legimus: *& edificavit Cain Civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii sui, Henoch.* Neque enim necesse est, alios, quam ex Adamo propagatos Homines comminisci, qui Civitatem hanc edificarent, incolerentque, Observant siquidem Sacre Chronologia Periti, Civitatem illam a Caino positam esse Anno ab Orbe condito quingentesimo. Quis autem dubitet, quingentorum annorum spatio ab uno Homine Adam tantum multiplicari potuisse Genus Humanum, ut esset, unde constituerentur, non una, sed plurius Civitates? Certe, si admodum calculi numerare hinc nobis liceat, quot ex Homine uno, spatio quingentorum annorum Generationes duci possint per nepotes, ac pronepotes, per lineas directas, & transversales, vix fidem haberet computatio, tametsi sub oculis posita. Exemplum ex Scripturis dare fati sit. Ex uno Abraham non amplius quadringentis annis numerofitas Hebrææ Gentis ex ejus femoribus ortæ procreata est tanta, ut in exitu ejusdem Populi ex Aegypto sexcenta, & eo amplius hominum millia fuisse referantur *Exod. 12.* ex sola (quod stupendum magis) Jacobi linea propagatorum: sexcenta, inquam, hominum millia bellica: tantum Juventutis, hoc est, dempsit mulieribus, pueris, senibus, qui per statem tractare arma non poterant; dempsit Levitarum duobus supra viginti millibus ad Tabernaculi ministerium, atque custodiam exubantium. Quibus omnibus si insuper addideremus integram Idumæorum Gentem ad Israeliticum Populum minime attinentem, tametsi ex Abraham per lineam Esau descendissent; si alias non minimas Gentes adjungeremus in eum quoque numerum Israelitarum hæud adscitas, quod ex femine quidem Abraham, aliunde tamen, quam ex Sara libera conjuge prodidissent, quales nimirum fuerunt Ismaelitæ ex Agar ancilla procreati, qui universam Regionem ab Euphrate ad Mare Rubrum occuparunt; millies mille hominum millia, & eo amplius numerarem ex uno Abraham annis plus minus quadringentis propagatorum. Quid ergo de Adamo colligere liceat quingentorum annorum spatio, quo demum exacto Urbs illa a Caino edificari cœpta est? Sed in hoc turpiter aberrant Præadamitæ, & quotquot prima Genesios Capita cursum, ac perfunctorie lætant; quod paucos admodum in Orbe extitisse tunc Homines putent ex Adamo procreatos; quia paucos admodum Scriptura Sacra ex nomine appellat usque ad Noetici Diluvii tempora. Nec advertunt imprudenter, paucos idcirco Homines in Genesi recenserunt, non quod res ipsa pauci essent, sed quod suscepti a Moyse Operis ratio non postularerit, ut alios propemodum innumeris recenseret. Quorsum id? Quia unicum Moyse Institutum erat, ut per certas Generationum successiones ab uno primo Homine Adam ab Abraham perveniret, cui prima de Venturo Messia promissio facta est; quod ut exequeretur satis illi erat, si vel illos solos Adami Filios, ac Nepotes enumeraret, per

quos rectæ Genealogiæ successio ducta est; cæteris silentio missis, e quibus linea transverfales duci possent. Equis enim putet, Protoparentes (quibus gignendi officium ea Etate temporum in præcepto erat, ut Orbi propagaretur) non alios peperisse filios nongentorum, & amplius annorum spatio, quo vita illorum protracta est, quam qui a Moyse recensentur numero tres, Cain, Abel, & Seth? Certe, si quolibet nono mense filium ab Adamo genitum ponamus; cum annos ille vixerit nongentos triginta integris semper viribus, consequens erit, ut mille ducentos triginta septem filios genuerit ipse per sese. Id satis brevi compendio significavit Moyse *Genes. cap. 5.* dum, tribus duntaxat Adæ Filiis, Caino, Abele, & Setho enumeratis, uno tandem verbo cæteros complexus est propemodum infinitos dicens: *genuitque filios, & filias. Et factum est omne tempus, quod vixit Adam, anni nongentis triginta, & mortuus est.* Audiamus D. Augustinum lib. 15. de Civit. Dei cap. 8. loquentem de Civitate illa a Caino edificata: *Sed hoc quos movet, parum considerant: non omnes homines, qui tunc esse potuerunt, Scriptorem Sacrae hujus Historiæ necesse habuisse nominare: sed eos solos, quos Operis suscepti ratio postulabat. Proposuit quippe Scriptoris illius fuit, per quem Spiritus S. id agebat, per successiones certarum Generationum ex uno Homine propagatarum pervenire ad Abraham, ac desino ex ejus semine ad Populum Dei.*

Toto autem aberrant officio, qui Civitatem illam a Caino positam dicunt longe ante Annum ab Orbe condito quingentesimum, dum scilicet natus est illi Primogenitus suus; eo quod Scriptura dicat *Genes. 4. Cognovit autem Cain Uxorem suam, quæ concepit, & peperit Henoc: & edificavit Civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii sui, Henoch.* Unde enim habent, fuisse Henochum Caini primogenitum; ejusque idcirco nomine nuncupatam esse Civitatem, ut illius Primogenitura celebraretur? Fieri quippe potuit, ut ex illius nomine edificatam Civitatem nuncupaverit Pater, aut quod illum plus cæteris Filiis diligeret, aut alia forte de causa nobis impervia. Neque enim E. G. Judæ primogenitus fuit Jacob, a quo tamen & Judæa cognominata est, & Judæi: neque consequens est, Civitatem edificatam fuisse, statim atque genitus est Henoch; quia duo illa continuata narratione conjungit Moyse: *Uxor Caini peperit Henoch; & Cain edificavit Civitatem: siquidem Sacris Historicis familiare est, res tempore distitas conjunctim & continuato enarrare, dum nihil illis occurrit medium, quod narratione sua dignum existiment.* Standum ergo communi Virorum Eruditorum Chronologia, qui edificatam Civitatis hujus Epocham figunt Anno conditi Orbis quingentesimo: quo quidem tempore satis ex uno Adam propagari potuerat magna Hominum multitudo.

Neque vero mirari subit, Adæ Filios Uxores duxisse suas, quo necdum tempore Filias ullas ab Adamo genitas legimus Sacris in Litteris; quasi vero sit inde consequens, illos ex alio Homine Genere Uxores sibi copulasse. Non enim propterea nondum genitæ putandæ sunt Adæ Filia, quia earum ortum distincte Scriptura non notat; multa enim silentio mittuntur, quæ non idcirco negantur: neque fole Scriptura Sacra tota illa prima Etate Mundi distincta Filiarum Generationes percensere; propterea quod ex illis recta Genealogiarum series non ducatur; quod unicum erat Moyse scribenti consilium.

Longe minus in Naturæ Legem peccasse censendi

fendi sunt Adæ Filii, si suæ ipsorum Sorores duxerint in Uxores; quod illos fecisse necesse est, reiecto Præadamitarum Systemate: quia ad Humanæ Generis propagationem idipsum Natura tunc potulabat; quod facta nunc propagatione detestatur, ac refugit.

Cæterum, quod de constitutis jam Judiciis, antequam Cainus Fratrem occideret, erectisque ad Portas Civitatum Tribunalibus objiciunt Alii, qui, ut magnam ante Adamum Hominum multitudinem Mundum istum incoluisse colligant, futillus est, quam ut refelli a nobis debeat. Primum quidem; quia jam satis ex antedictis perspectum est, quo tempore Deus Cainum his verbis oburgavit: *nonne si bene egeris, recipies: si autem male, statim in Foribus peccatum aderit?* Anno scilicet post creatum Adamum circiter centesimo trigesimo; perspectum, inquam, est, magnam Hominum multitudinem extare potuisse, qui tamen ab ipso Adamo duxissent originem. Secundo; quia non est omnino certum, Deum Cainum oburgantem iis ipsis verbis utum esse, quibus ad erecta jam in Portis Civitatum Tribunalia alluserit: *nonne si male egeris, statim in Foribus peccatum aderit?* Fieri quippe potuit, ut Deus generalioribus, simplicioribusque verbis sit usus ad nihil penitus alludentibus; ut *nonne si male egeris, statim delictum immoescet, & debita pena plectetur?* atque similibus. Moyses vero post annos amplius bis mille hanc ipsam Historiam describens, quo tempore in Portis Civitatum Tribunalia illa erecta fuerant, ea in Dei ore Cainum oburgantis verba posuerit, quæ ad hujusmodi Tribunalia tantillum alluderent, quod ex sui jam temporis usu essent; ut vel hoc pacto a Judæis, in quorum gratiam scribebat, usum jam illum habentibus facilius intelligeretur.

Certe Moyses ea methodo Historiam scripsisse suam, ut familiares Ætate illa loquendi formulas in Dei ore posuerit, quamquam eas Deus non usurpasset, ex Historia Diluvii cap. 7. Genesios descripta liquido constat. Tunc enim Deum Noemum alloquentem his verbis inducit Moyses: *Ex omnibus Animantibus mundis tolle septena, & septena; masculum, & feminam: de Animantibus vero immundis duo, & duo, masculum, & feminam: ut nempe priora, transacto Diluvio, offerret in Sacrificia, non itidem posteriora; cum tamen Ætate illa Animalia Sacrificiis offerendis apta, aut etiam inepta, eo mundorum, & immundorum nomine minime vocarentur; sed post datam duntaxat a Deo Legem; post scilicet a Diluvio duntaxat aliquos octingentos, quo tempore Diluvii Historiam scripsit Moyses, eo nomine vocari cœperint. At de primo illo Præadamitarum Fabulatorum Argumento multis Capitibus constante jam satis.*

Alterum minus moror adversæ Sententiæ præsidium, quod ex Regionum Antipodarum inhabitatione repetere solent: Quasi incredibile videatur, potuisse Homines ex Adam in Palæstina procreatos ad Antipodas Regiones primitus pervenire, Oceani immensitate trajecta: cum nullum præsertim tam audacis facinoris vestigium seu Sacris, seu prophæis in Litteris continetur; ac subinde consequens sit, Regiones illas Antipodas ab alijs, quam ab Adæ Nepotibus fuisse primitus habitatas.

Reponimus enim, non omnia esse scripto consignata; neque forte necesse fuisse, ut trajecto Oceano, Partes illas Adæ Posterij occuparent. Quis enim certo sciat, num eandem ab initio Mundi amplitudinem occuparet Oceanus, quam subinde, transacto Diluvio occupavit? Non desunt quip-

pe, qui id negent, quique Mare ex residuis Diluvii aquis in immensum excrevisse putent, novaque subinde, ac propemodum infinita spacia occupasse: unde effectum existimant, ut modo non nisi navigio ad Regiones Antipodas iter fit, cum antea absque navigio iter esset. Sed & quocumque se vertant Præadamitæ, hoc idem solvendum illis est Argumentum, quod nobis indefinenter objiciunt. Demus enim quod volunt, alios etiam, quam ex Adamo, procreatos Homines Mundum istum incoluisse; illud saltem nobis concedere compelluntur, omnes Homines quovis ex stirpe natos, etiam Præadamitæ, si forte fuerint, una Noachi excepta Familia, Diluvio perisse; asserente videlicet Scriptura Sacra, consumptam esse Carnem omnem, quæ movebatur super Terram. Itaque necesse fuit (post Diluvium saltem) Homines ex Noachi Familia procreatos ad Regiones illas Antipodas appulisse ex Armenia, supra cujus Montes requieverat Arca; cujus tamen tam audacis facinoris vestigium nullum seu Sacris, seu prophæis in Litteris invenitur.

Jam quæram Momentum ex Prophanorum Scriptorum Auctoritate petitum, qui multa supra Adamum annorum millia Chaldæis, Egyptiis, Babiloniis, Americanis, ac Sinesibus tribuant, risum, potius eliceat, quam scrupulum moveat. Ut, quid quaeso velut aquam bibemus quidquid illi de sua Antiquitate stultæ, & inaniter delirant? Quantum a vero procul aberent, multa evincunt, quæ in antecessum retigimus. Ac primo quidem Divinarum Scripturarum Auctoritas, quam se venerari Præadamitæ profitentur, Fingentium illud explodit evidentissime: qua liquet, prophanorum Gentium Imperia ex Noæi Nepotibus initia fuisse: Quæcumque enim eam Antiquitatem (tamest forte Diluvio, ac Noæi superiorum) laudatis Gentilibus tribuere velint Præadamitæ, fateantur tamen necesse est, illos per Noemum saltem, ejusque Filios descendisse; cum, hac una Familia excepta, aquis Diluvii perierint universi Homines. Noemus porro primam originem suam non ab alio Homine duxit, quam ab Adamo, quem Deus ipse efformavit; Adam enim genuit Seth, Seth genuit Enos, Enos genuit Cainan, Cainan genuit Malaleel, Malaleel genuit Jared, Jared genuit Henoch, Henoch genuit Mathusalem, Mathusalem genuit Lamech, Lamech genuit Noe Genes. cap. 5. Superiorem ergo Adamo ipso Antiquitatem Gentilibus, illorumque Imperiis arrogare, Error est in Scripturam Divinam patentissimus.

Secundo, Fabulam revincit Scriptorum prophanorum de tanta illa Imperiorum Antiquitate mutua Repugnantis; quæ talis profecto, tantaque est, ut vix unum Scriptorem alteri consentientem invenias. Etenim neque cum Alexandro Polythore Plinius, neque cum Quinto Curtio Justinus, neque cum Herodoto Plato, neque cum Cicerone Vellejus Patereculus mutuo conveniunt; sed alii plures, alii pauciores annos pro arbitrio ponunt; ut Babelicam inter illos confusionem intueri mihi videar, quoties illorum Computaciones mutuo confero. Erroris hujus fontem fuisse arbitror prophanorum Gentium Opinionem ex quibusdam Philosophorum suorum Libris ebibitam; quod videlicet Mundum æternum existimarent, semperque fuisse certo crederent; unde tantam illam Imperiorum suorum diuturnitatem fingere de facili pro sua varietate poterunt. Quare satis est, cum Julio Africano, Eusebio, & Augustino hæc omnia putidissimis Fabulis ascensere; prophanosque Scriptores, ut iniquos Controversæ Telles, rejicere; quos fecit nimia Antiquitatis ambitio delirare.

Sup-

Agitur de Hevæ Formatione; & Litteralis de ea Scripturæ Sensus propugnatur.

DE Mulieris Formatione brevem Tractationem habiturus Difficultatem confestim aggredior, ne, si plus justo in limine hæserim, satis deinde temporis non superstit Operis conficiendi. Quia porro sinistra suspitioni locus esse possit, si nos, quibus ex Religiosæ Professionis Instituto interdicitur est Mulierum usus, prolixior de Muliere Tractationem habereimus; idcirco rem totam compendio pertractabimus, & de Muliere ita parce dicemus, ut ex ipsa sermonis parsimonia facile quisquis intelligat, quam parum eo Argumenti genere delectemur.

Mulieris formationem his verbis enarrat Moyses Genes. cap. 2. Dixit quoque Dominus Deus: *Non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adjutorium simile sibi. . . . Inmisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, & replevit carnem pro ea. Et edificavit Dominus Deus Costam; quam tulit de Adam, in Mulierem; & adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hec vocabitur Virago, quoniam de Viro sumpta est.*

Dei Mulierem formantis Consilium primo loco ponit Moyses, ut videlicet Homo adjutorium haberet simile sibi: adjutorium, inquam, non ad consilium virilium rerum gerendarum; neque enim Viri ad hæc gerenda Fœminarum consiliis indigent, cum eas potius consiliis suis dirigere, ac manuducere ipsi debeant, quam ab illis regi, & gubernari, jubente Apostolo, ut *Mulieres subdita sint Viris suis; quod de civili profecto subiectione intelligendum venit; cum qua quidem dirigendi, ac gubernandi præminentia stare nequaquam potest: sed adjutorium ad generationis officium; ad leviora quædam, atque demissiora civilia, seu domestica munia peragenda; necnon ad alenda tenella in ætate, gubernandæque prolis officia; quibus certe Viri altioribus intenti curis minus apti censentur. Neque enim vel tractandis armis, vel excolendis Disciplinis, vel rebus publicis administrandis, vel exercendis ad Reipublicæ commodum mechanicis, vel liberalibus Artibus sunt idoneæ Mulieres; sed minutis, quæ Virorum dignitatem plus æquo demitterent, communiter occupantur. Si quæ vero aliquando virilia agere pertentantur, ac etiam præstiterunt, adeo ut ipsi etiam magni Viri æquales, imo clariores evaserint (quod cum prophanæ, cum Sacræ satis produnt Historiæ) singulare hoc illarum Privilegium censendum est, eo forte consilium donatum, ut Viris ipsis exemplo essent; quibusdam etiam mollioribus, & ineptis pudorem ingerent, atque ad Virtutem revocarent: inferius enim non senes legit Deus, ut fortia confundat. Verum cum raro id contingat, non est, cur Dei Consilium in efformanda muliere Hevæ in eo fectisse dicamus, ut adjutorium tale tribuere Viro voluerit, quale ipsi opus esse cognosceret ad ea, quæ peculiariter sunt Viri, gerenda, atque administranda negotia.*

Notato formandæ Mulieris Consilio, Formationem exponit Moyses, ac primo immisissum ait a Domino soporem in Adam. Soporem hunc Ecstasim, seu mentis Excessum appellant Septuaginta Interpretes; ut non naturalem somnum, quo ligantur Sensus, sed Ecstasium potius extrinsecus significent; cum & Adam divinitus per somnum

illu-

illustratus intellexerit non modo quid fieret, sed etiam quid ex Mulieris efformatio mystice significaret; Magnum scilicet Sacramentum futuræ aliquando Conjunctionis Christi Domini cum Ecclesia juxta celeberrimam Apostoli Sententiam ad *Ephefos* cap. 5. *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, & in Ecclesia. Mysticum illum Adæ soporem eleganter descripsit Alcimus Avitus lib. 1. de initio Mundi:*

Cui Pater Omnipotens pressum per membra soporem

*Misit, & immenso tardavit pondere Sensus,
Vis ut nulla queat sopitas solvere Mentis;
Non si forte fragor securas verberet aures,
Nec si commoto Cælum tunc intonet Axe:
Quia nec pressa suam capissent membra quietem.*

Dormienti itaque Viro, seu potius in Eccliam rapto Costam Deus extraxit, Mulieremque formavit. Cur de Viri Latere formata sit Mulier, ratio multiplex a Patribus fertur. Prima; ut ea formatione Ecclesiæ formatio intimius exprimeretur, quæ de Latere Christi in Cruce morientis proditiis dicitur, dum ex illo impii Satellites Lancea confosso fluxerunt Ecclesiæ Sacramenta, juxta Sanctorum Patrum assertionem. Secunda; nam si Mulier ex Viri capite formata esset, Viri Caput diceretur: si ex pedibus, Famula: quare illam ex Latere, uti vitæ Sociam, prodire necesse fuit. Tertia; ut hoc pacto Uxorem diligere Homines diceret; ex ea quippe finitri Lateris Costa formata creditur, in quam maxime Cor Hominis inclinat: quocirca Marius Victor *lib. 1. in Genesim* canit:

*Ex Homine effusa est Mulier, cognatio quædam
Mutuum & alternum: inter se ut miseret amorem,
Semet in alternis cogens agnoscere membris.*

Una tandem ex uno Viro formata est Mulier, ut uni una nubat; inique Connubii vinculo, neuter Conjugum alteri fidem fallat.

Nulla, quod sciam, Scripturæ Sacræ Historia est, quam pluribus fabulis interpolant eum Gentiles, tum Hebræi Traditores. Hanc primus, ut arbitror, interpolavit Plato in Politico; ubi primum Hominem Androgynum, seu Hermaphroditum commentus est, quem duas in partes fecerit Jupiter, ut duo Corpora ex uno dissecto succrescerent. Figmentum hoc Rabbinus complures arripuerunt. Rabbi Samuel in *Beresith barâ*; Maimonides in *Mora Nevuchim* p. 11. cap. 30.; ubi (ut refert Nat. Alexand. *art. 2. Hist. V. T.*) Magistrorum Opinionem approbat, qui Adam, & Hevam dorso conjunctos creatos ajunt; postea vero a Deo divisos.

Hujusce Figmenti Conformationem non morabor hic, cum Scripturæ Sacræ adeo aperte repugnet, ut nihil magis. Hæc quippe Adamum solum fuisse creatum expresse docet: deinde cum non inveniretur ipsi Adjutorium simile, Deum, ut antea dicebam, Costam ex ejus Latere tulisse, & in Mulierem compegisse. Quæ sane ruerent, si uno, eodemque corpore simul compacti essent Vir, & Mulier.

Neque huic Commento vel minime favent, quæ leguntur *Genesis* 1. v. 27. *ad Imaginem Dei creavit illum; Masculum, & Feminam creavit eos:* si enim Adamum hermaphroditum, seu androgynum significare Moyses voluisset, dixisset potius: *Masculum, & Feminam creavit illum:* Sed *Masculum, & Feminam creavit eos:* hoc

est, in Humana Specie duos, Masculum, & Feminam efformavit.

At nemo turpius eam Hevæ formationis Historiam interpolavit, quam Hesiodus in *Pandora* Fabella; qua de re graves in illum Expositiones extant apud Origenem *lib. 4. contra Celsum*; S. Cyrillum Alexandrinum *lib. 3. contra Julianum Apostatam*; Eusebium *lib. 12. Preparationis Evangelicæ cap. 12.* Cum enim Moyses Libros assidue legisset Hesiodus, minus tamen Sacras illas Historias intelligentia assequeretur, quæcumque de Hevæ formatione scripta sunt, partim ex ignorantia, partim ex poetica licentia promiscue confudit. Iratum Jovem in Mortales commentus est; qui ut illos exitiali quodam, sed tamen dulci malo puniret, formandam Mulierem Vulcano commiserit, fallacibusque pigmentis ornandam Palladi tradiderit; Mercurio tandem vasis moribus, atque dolis imbuendam, & Pandora nomine nuncupandam. Quo facto, eventum ait Hesiodus, ut in Mundum omne mali genus ex ea Muliere pullularit.

*Nam prius Humano Geni mala nulla fuerunt:
Expers solliciti visa laboris erat.
Morbosumque abierant vultu pallente catervis,
Qui senium cunctis debile ferre solent.
Fœmina sed vacuo dum tollit opercula vase,
In Mundum pestis provocat omne genus.*

Ludam operam, si tam stulta exerrantis animi Deliria extundere velim: neque etenim ad hoc dati sumus, ut quævis de Sacris rebus Poetarum Figmenta magno Argumentorum pondere refellamus; quæ sua ipsorum vanitate dissipantur. Quamobrem ad eam nos revocamus Cardinalis Cajetani singularem de Hevæ creatione Opinionem confutandam, ut dignam Viris Theologis locum operam. Censet videlicet Vir Eminentissimus, quæcumque de Mulieris ex Adami Costæ formatione narratur a Moysè, Historice, & secundum Litteræ sensum intelligi nequaquam posse; sed ad Metaphoram, atque Parabolam necessario trahi oportere. Id in præsentia confutare, atque refellere e re nostra putamus esse, utpote verbo Dei minus consonum, & Viris omnibus Eruditissimis probatum.

Et certe si Origenem tam graviter reprehenderunt Ecclesiæ Patres, Epiphanius in *Epistola ad Joannem Hierosolymitanum*; Hieronymus in *Epistola 38. ad Pammachium*; quod tria prima libri *Genesis* Capita non historice, sed allegorice fuisset interpretatus: imo si id inter causas Damnationis ejus recensuit V. Synodus Œcumenica; quanto minus excusandus est Cajetanus, qui Narrationem Mosaicam totam ad parabolicum sensum hoc loco detorsit?

Hoc idem Cajetani Paradoxum refellit concursus Patrum omnium, Theologorumque Sententia, qui ex Adami vera formatam Hevam senserunt, & Scriptis prodiderunt. Refellit etiam communis Ecclesiæ Catholicæ Sensus, atque Judicium. Et vero D. Hieronymus in *Expositione in Epistolam ad Philemonem*, creationem Hevæ ex Costâ Adami inter ea Dogmata numerat, quæ salva in Deum Fide negari non possunt. *Credidit quispiam, inquit, in Conditorem Deum; non potest credere, nisi prius crediderit, de Sanctis ejus vera esse, quæ scripta sunt: Adam a Deo plasmatum; Hevam ex Costâ illius, & Latere fabricatam; Henoch translatum; Noe naufragum solum Orbe servatum.* D. Augustinus *lib. 8. de Genesi ad litteram cap. 1. dicitur monet, narrationem Moyses in libro Genesis non esse genus locutionis figuratarum rerum, sicut in Cantico Cantorum; sed esse expositionem rerum omnium gestarum: unde & illorum Commentum*

explo.

explodit, qui ex illo duntaxat loco putant incipere Historicam Narrationem hujus Libri, ex quo dimissi de Paradiso Adam, & Heva convenerunt, & genuerunt. Hoc ipsum confirmat Theodoretus *Interrogatione 30. in Genesim*. Unde & effectum est, ut Innocentius III. *Extr. de Divortio cap. Gaudemus*, ea potissimum ratione prohibuit Homini dixerit plures simul uxores ducere, quod ab initio ex una Viri Costâ una Mulier orta sit: quæ ex re minus efficax peteretur Argumentum, si ea Hevæ ex Adami Costâ formatio secundum Allegoriam solum foret intelligenda. Iis omnibus robur addit S. Cyrilli Alexandrini, aliorumque Patrum adversus Julianum Apostatam habita Concertatio sæculo V. Contendebat siquidem Julianus, fabulis accendenda esse, quæ de Mulieris productione narratur in Genesi; siquæ Dicit potissimum rationem petebat, quod vix ea secundum Historiæ veritatem accipi possent, quæ a Moysè recententur. Porro Patres, qui oppositam Juliano Apostatæ viam iniere, ad Allegoricos sensus minime confugerunt, ut arguas censurarent; sed servato nativo, proprioque Litteræ sensu totam illam Moyses Narrationem confirmarunt: adeo scilicet procul erant ab ea Cajetani aberratione. Totus est in ea vindicanda Historia S. Cyrilli Alexandrini *lib. 3. contra Julianum*, & a Viris studiosis omnino legendus.

Ecquid vero in oppositum afferat Theologus Eminentissimus, ut Paradoxum illud nobis persuadeat? Attentis animis aufcultemus.

Certum est, inquit, Adamum, & Hevam simul, eodemque momento esse conditos; idque ex primo Capite *Genesis* facile colligi; ubi cum dixisset Deus: *faciamus Hominem ad Imaginem, & similitudinem nostram*; continuo addit Moyses: *Masculum, & Feminam creavit eos, benedixitque illis Deus, & ait: crescite, & multiplicamini, Genesis cap. 1.* Imo vero, inquit ego, certo certius est, non uno, eodemque momento conditos esse Protoperentes; sed Adamum primo, tum deinde Hevam. Rei fidem facit Apostolus 1. *ad Timotheum cap. 2.* *Adam, enim, inquit, primus formatus est, deinde Heva. Quid amabo explicatius, quid nitidius? Quod ergo ex primo Genesis Capite dictum opponit purpuratus Theologus, nihil evincit: datus enim, Adamum, & Hevam communiter a Deo formatos; at non eodem temporis momento, nec eodem modo. Siquidem cum Moyses eo loco sextæ Diei Opera commemoraret, strictim, & compendiarie narratione Formationem Viri, & Feminæ complexus est, ut ad Opus illius Diei pertinentem. Verum absoluta Operum omnium, quæ a Deo communiter condita sunt, expositione compendiarie, Historiam productionis Viri, & Feminæ resumit distinctius explicandam; declaratque, quam diverso modo Utriusque Corpus a Deo compactum fuisset; Viri scilicet ex pulvere terræ; Mulieris autem ex Costâ Viri. Quare mirari subit, rem adeo perspicuam altum illud, ac perspicax Cajetani ingenium latuisse. Sed homines sumus.*

Felicius non conjectatur Vir Eruditus, dum ex aliis Moyses verbis præsidium petit; iis scilicet, quibus post narratam Hevæ Formationem subdit, Deum Hevam adduxisse ad Adam: unde colligit, Mulierem ex Viro formatam non esse; quia sic juxta Adamum fuisset Heva; nec ex alio loco ad eum fuisset adducta. At nunquid Deus ex Costâ Adami dormientis detracta Corpus Mulieris formare non potuit, ubi placuit, aut procul ab Adam, aut extra Paradisum, ut fert probabilior Opinio? Et eam tandem ad illum adducere, inique Sociam, ac Conjugem dare? Nodum igitur in serpo querit, quisquis ad enervandam hujus

Serry Tom. IV.

Historiæ fidem verba illa corrodit, ac vellicat.

At, inquit Vir subtilissimus: aut Costâ illa, unde formata dicitur Heva, ex necessariis erat costis Adæ, aut certe non erat. Si erat ex necessariis; ea ergo semel detracta, mancus remansit Adamus, atque mutilus, utpote una costâ minutus: si necessaria non erat, sed superflua; Monstrum igitur extitit Adam, antequam ad Hevæ formationem Costâ illa tolleretur, utpote qui superfluis membris, ac partibus coalesceret. Miror, Eruditissimum Angelici Doctoris Interpretem suam illam Objectionem a sanctissimo Doctore occupatam non observasse 1. *part. quæstion. 92. artic. 3. ad 2.* Ait siquidem SS. Doctor, Costam illam Adamo, ut singulari homini, ac personæ peculiari, supervacaneam quidem fuisse, utpote quæ ad Corporis ejus integritatem minime pertineret; sed necessariam ipsi fuisse, ut erat Principium totius Generis Humani, & quatenus ex ipso secundum Dei Decretum Heva formanda erat: eo plane modo, quo Semen animale ad perfectionem Generantis pertinet, non prout individuum quoddam est, sed quatenus Speciei propagandæ capax. Porro licet Costâ illa Adamo, ut singulari homini supervacanea esset, non propterea monstruosum creatum est Corpus ejus; quia cum cæteris ejus costis ita cohærebat, & carne, ut nulla deformitas, nullus inde natus in Adami Corpore oriretur: nec errore Naturæ, sed Auctoris ejus consilio cæteris adjuncta fuerat, ut efformandæ Mulieris Corpori materiam præberet. Ea etiam detracta Costâ, mutilus, & mancus non fuit Adamus; cum ad integritatem Corporis ipsius non pertineret; & Deus locum, unde fuerat detracta, carne repleverit, ut dicitur *v. 21. ejusdem Capitis 2. tulit unam de costis ejus, & replevit carnem pro ea.* In sequentibus de primorum Parentum Tentatione sermo nobis erit; nec, ut spero, injucundus, modo Deus ceptis aspiret.

PRÆLECTIO IX.

Moyses Narrationem de primorum Parentum Tentatione non figurate, sed juxta Litteræ sensum intelligendam esse, defenditur.

DE primorum Tentatione Parentum præsentis Exercitatione dum disputo, subintrat hic rursus in Scenam Eminentissimus Cajetanus; cum quo mihi in antehabitis contentio fuit, dum de Mulieris Formatione disputarem. Is etenim totam Scripturæ Sacræ de primorum Parentum Tentatione Narrationem non modo ad nudam Allegoriam infleat; verum etiam quæcumque de Serpente Tentatore referuntur, non nisi secundum Figuram accipi posse, fidenter pronunciat. Serpente nomine non Animal aliquod, cuius Organum Diabolus uteretur, intelligendum existimat, sed Diabolum ipsum eo Nomine per Metaphoram nuncupatum; ejusque cum Muliere Collocationes nec externas, nec sensibiles fuisse putat, sed internas, secretasque in animo Suggestiones, quales nos a malignis Spiritibus experimur, dum ab illis provocamur ad malum.

Errorum hunc cum bona Purpuræ venia oppugnandum aggredimur; palamque ostendimus, eam Moyses Narrationem de primorum Parentum Tentatione ad nudam Metaphoram trahi non posse, sed juxta nativum Litteræ sensum intelligi oportere, nisi & Scripturis Sacris, & Patribus palam, aperteque repugnare velimus.

Et certe Serpentem verum illum esse, quem Moyses exhibet Mulieris Tentatorem, verba ipsa plus satis indicant, dum ait: *Serpens erat callidior cunctis animalibus Terræ, quæ fecerat Domi-*

nus Deus; (*Genesi cap. 3.*) Quæ frustra præmississet Sacer Textus, nisi Serpens ex Animantium illorum terrestrium numero esset, quotum creationem paulo superius enarraverat.

Sed & pœnæ genus, quæ eum multavit Deus, verum serpentem fuisse declarat, non Dæmonem eo Nomine per Metaphoram nuncupatum, nec speciem evanidam, imaginemque Serpentis, quam ludificandis Hevæ sensibus Diabolus exhibuerit. Cum enim Heva a Deo increpita, quod Arboris vitæ fructum delibasset, ac comedisset, responderet: *Serpens decepit me: Conversus Dominus ad Serpentem ait: quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias Terræ: super pectus tuum gradieris: & terram comedes cunctis diebus vite tue.* Quæ sane nec adumbrato Serpenti, nec Dæmoni conveniunt; sed terræ bestia, & animanti.

Jam vero, si Patres consulamus, perfectum erit, Cajetanum aut minus in illorum Sententiâ investiganda accuratum fuisse, aut minus in ea amplectenda religiosum; omnes enim Narrationem illam totam, uti veram Historiam, acceperunt. Otiosi foret hominis, illorum hic Testimonia minutim recensere; nonnullos ex Nōmine appellare sufficit; Joannem Chrysostomum *homilia 16. in Genesim*; Cyrillum Alexandrinum *lib. 3. contra Julianum*; Augustinum *lib. 11. de Genesi ad litteram cap. 27.*; Gregorium Magnum *lib. 4. Moral. cap. 9.*; Joannem Damascenum *lib. 3. de Fide Orthodoxa cap. 10.*; quibus & suum calculum posuit Doctor Angelicus 2. 2. *quest. 165. art. 2.* Quare totam præsentis Exercitationis operam locabimus in dirimendis Eminentissimi Viri Fundamentis, quibus ad singularem illam Opinionem amplectendam adductus est.

Primum ex ipsis Serpentis dotibus repetit Cajetanus; & quæ nos in illum tela contorsimus, hæc ipsa in nos revertit dexterrimus miles. Tentatorem ita delineat Moyses: *Sed & Serpens calidior erat cunctis animantibus Terræ: porro, inquit Cajetanus, de vero Serpente, si fides Philosophis habeatur, qui proprietates Animalium scrutati sunt, falsum id esse compertum est. Quis enim nesciat, Animalia bene multa Serpente calidiora reperiri? Quare (inquit purpuratus Theologus) ista consulo præmisit prudentissimus Moyses, ut Lectori significaret, se non de vero Serpente loqui, sed figurate, ac metaphorice de Diabolo Serpentis indolem referente; serpendo scilicet per interiores Mulieris sensus, ut illam veneno suæ persuasionis inficeret, atque corrumperet.*

Verum, quoddam saltem caliditatis genus Serpentibus inesse præ cæteris animantibus, nemo negaverit, qui eam ipsam a Christo nobis ad exemplum propositam observavit *Matth. 10. estote ergo prudentes, sicut Serpentes.* Et quidem nullum ad tuendam vitam altius Animal inveniri, Experimenta docet. Notum illud, ac quotidiano usu facile comprobatur, quod cum saxo, aut ferro ab homine plectitur, totum corpus circumvolvit, ut caput ab ictibus protegat, ex quo totius corporis vita pendet, ac salus. Notum & illud alterum, quod fiti fatigatus, curæ & latibulo proccedit ad aquam, ut bibat, venenum, quo infestam linguam habere solet, quasi expuit, ac deponit; ne videlicet aquas inficiat, atque corumpat. Sed & illud mirabilis, quod sentiens Carminibus Incantatorum se captum iri, ne ea exaudiat Carmina alterum aurem terræ, vel petrae admoveret, atque comprimit, alterum supposita cauda obturat: quod eleganter describitur a Davide: *Psal. 57. furor illis secundum similitudi-*

nem Serpentis: sicut Aspidei surda, & obturantis aures suas, quæ non exaudiat vocem Incantantium, & Venefici incantantis sapienter. Quidni ergo Serpentem verum e ratione cæteris animantibus callidiorum Moyses appellasset?

Responsum alterum subministrat Divus Augustinus *lib. 11. de Genesi ad litteram cap. 29.*, callidiorum appellari Serpentem, inquit, non ex Naturæ conditione, sed ex Diaboli possessione, qui illo ad decipiendam Hevam, tanquam organo, utebatur. Sicut enim prudentem, astutamque linguam vocamus, quam prudens, vel astutus movet ad aliquid prudenter, astuteque suadendum; tamen corporali hinc Membro ingenta prudentia, vel astutia esse non possit; ita Serpentem callidiorum cæteris appellavit, quem ad fallendum callidus Hostis aptaverat.

Alterum ex Serpentis locutione præsidium petit Cajetanus, ut totam illam Moysis Narrationem figurate tantum accipiendam ostendat. Quis putet, inquit, brutum Animal cum Heva familiari sermone locutum esse? Quod si velimus secundum Litteram interpretari, Fabulam potius olet, quam veram Historiam. Ecurr etiam, addit ille, nil Moyses scripsit de accessu Serpentis ad Mulierem? Nihil de pavore, atque horrore delicatæ Mulieris ad præsentiam, atque sermonem Bruti hujusce animalis? Cum & Moyses ipse *Exod. 4.* Serpentis præsentia horrore aufergit; certe ad Serpentis præsentiam inhorruiisset Heva; ad ejus locutionem obstupesceret, eoque præsertim ex Capite Tentationis fraudem internovisset. Ita Vir subtilissimus.

Res compendio confecta est, eaque Cajetani Observatio cito evanesceret, si, quod Josephus *lib. 1. Antiquit. cap. 2.* memoræ prodidit, veritate niteretur; naturalem scilicet Serpenti fuisse primitus loquendi Facultatem; ejusque deinceps privatione multatum esse in nefarii Ministerii pœnam. Multo minus negotium hoc suo Argumento faceret Theologus purpuratus, si, quod Plato in *Politico* reulit, veræ Historiæ loco exciperetur; primos nempe Homines aurea illa Ætate cum Bestiis amica colloquia misuisse. At hæc omnia fabularum loco nos ducimus, & secundæ Difficultati minus idonea judicamus; tamen minime negemus, Animalia quadam esse, quæ voces præ cæteris articulatas, & continuas pronuntiare condiscant, seu quadam facilitate naturæ, seu lingue ad voces efferrandas melius conformate beneficio, seu quod præ aliis vehementer vi Imaginativæ polleant, seu denique inculcaris frequenter iidem vocibus, maxime vero verberibus & ventris inedia compellentibus. Exempla ubivis obvia sunt: Memorat enim Cælius Rodiginus, Afcanii Cardinalis Pisticum continuatæ serie recitare solitum fuisse latino Idiomate integrum Fidei nostræ Symbolum, nullo proptus admisso errore. Notum & illud, Tiberio Principe imperitante, Satoris cujusdam Corvum inventum esse ita sermone affuefactum, ac quotidie manè evolans in Rostra, versusque in Forum, Tiberium primo, deinde Germanicum, & Drusum Cæsares nominatim, mox transeuntem Populum Romanum salutaret. Sed jucundior est Macrolii Narratio *lib. 2. Saturnalium* de Corvo, qui Octavianum Cæsarem ex Adriaco prælio Victorem redeuntem salutavit inquit: *Avus Cæsaris Victor Imperator*: cujus officiosa salutatio ita illi placuit, ut eam Avem viginti millibus aureorum emerit. Pisticum pariter, ac Picam, a quibus etiam in hunc modum fuerat salutatus, magna pecunia emit post annos aliquot. Quod liberalitatis exemplo stimulatam ferunt pauperculum quemdam, ut & ipse Corvum suum Imperatorem salutare

lutare condoceretur; qui tædio affectus, quod in avem duræ cervicis incidisset (quæ minus studiis responderet, ac votis) dicere solitus erat: *oleum, & operam perdidisti.* Edoctus tamen tandem aliquando dislatam toties salutationem Corvus ille, cum eam, Imperatore transeunte vice quadam, opportune promeret, diceretque *Avus Cæsaris Imperator*, respondit Augustus alta voce, satis se Latinum salutatorem jam Domi habere: quo posito, nescio qua forte Corvi subit memoriam illud, quod sæpius a Magistro suo tædio affecto audierat, reposuitque illico: *oleum, & operam perdidisti.* Tunc admiratus Imperator, quod responso suo adeo apposite reposuisset Avis illa, emi eam jussit, quanti aliam nullam emerat. Verum sunt hæc, ut ad institutum redeam, sunt hæc, inquam, innocua locutionum genera, in quibus præter tantillam Naturæ dispositionem, & Artem plurimam nihil invenitur.

Quare iis ommissis, Serpentem Mulieris Tentatorem Dæmonis arte locutum respondeo: uti enim per Energumenes peregrinis interdum Idiomatibus loquitur Diabolus, eorum linguam movendo; ita & per Bestiarum ora loqui potest Dæmon idem, aut etiam bonus Angelus, earum linguas ad voces efferrandas apte movendo. Sic per Africæ linguam locutum Angelum Scriptura prodit *Numerorum 22.* Neque desunt Ecclesiæ Patres, qui Bruta interdum animantia Dæmonis arte locuta Gentilibus fateantur, Deo ita occulto judicio permittente, ut qui Bruta sæpius colebant, ad iidem fallaci sermone deciperentur. Sic S. Cyrillus Alexandrinus *lib. 3. contra Julianum* excipit, quod Homerus refert, Achillis Equum humano more in voces prorupisse, eique mortem prænucciante: quod tamen Homerus Junonis arte factum subjungit, Gentilitatis suæ præjudicii occupatus.

Vocem illi Juno formatis indidit ulnis.

Bos etiam Romæ locutus fertur, quo tempore Tiberis alveo digressus plurima cum privata, tum publica Monumenta subrueret. Simonis Magi Canem locutum narrat Auctor Itinerarii Sancto Clementi vulgo adscripti. Non ab simili Dæmonis industria Idolorum Simulacra, resque inanimes responsa desisse, notius est, quam ut in dubium verti possit. Quamquam tunc non tam res inanimes loqui censeantur, quam Diabolus ipse latitans, variaque aeris verberatione vocem edens. Quo pacto Flumen Carsum transeuntem Pythagoram distinctis verbis salutasse refert S. Clemens Alexandrinus in *Sermonibus*; Arboremque muliebri voce Apollonium aliquandiu allocutam narrat Philostratus in ejus Vita. Quidni ergo, Deo ita permittente, Dæmonem Serpentis organo locutum dicamus; cum alias vel sola Moysis verba idonea sint, quæ fidem plenissimam faciant, tamen nulla alia Exempla suppetent?

Neque vero miram, Hevam Serpentis congressum non horruisse, ut objicit Cajetanus; cum in eo innocentis Statu Animalia universa, deposita seritate, Homini placide, obedienterque serviant. Ea etiam ratione ad Serpentis colloquium non obstupuit Mulier delicatula; seu quod illum, Angelo tum bono, tum malo moriente, loqui posse, certo sciret, ut alicubi responderet Angelicus Doctor; seu quod fortasse nesciret Mulier, loquendi Facultatem nulli Animali naturalem esse præter Hominem, ut Cyrillus Alexandrinus observat *lib. 3. contra Julianum*; cum & rerum novitas, & experientia defectus ignorantiam il-

lam, quæ Facti potius, quam juris erat, inferre possent.

Restat ultimum, unde præsidium accersit Vir Eminentissimus; inflicta scilicet pœnâ Serpenti. Quorsum enim, inquit, si ad decipiendos Protoparentes Bruti animalis organo usus est Diabolus, pœnas dabit Animal ipsum? Quam enim partem habere potuit stultum Animal, cui non est Intellectus, ut & culpam admittat aliquam, & pœnam mereatur? Quare subjungit Cajetanus: *inflicta pœna, supra pectus tuum gradieris, & terram comedes omnibus diebus vite tue, (Genesi 3. v. 14.)* secundum Metaphoram intelligenda venit, non Bruto animali imposita, sed Diabolo ipsi, qui Bruti animalis nomine designatur. Neque enim & super pectus reperere, & terram comedere Serpentis pœna fuisset; cum id etiam ante tentatum Hominem Serpens ex natura haberet.

Sed neque ista quidquam movent, aut ad vindicandam Cajetani Sententiâ quidquam juvant: quanquam enim Brutum animal, quod in perpetrando sceleris instrumentum assumitur, in reatum nullum incurrat, quippe quod Ratione destituitur; in majorem nihilominus sceleris execrationem pœnas interdum subit. Exemplum habemus *Leviticæ cap. 20. v. 15. qui cum Junento, & Pecore cojerit (inquit Deus) morte moriatur; Pecus quoque occidit.* Quid hic magis peccati habet Jumentum insipiens? Et nunc etiam Bestiæ, cum quibus contra naturam peccatum est, imo & Sues, quæ infantem devorantur, morte plectuntur. Quæ omnia ad crudelitatis, & turpitudinis majorem detestationem referuntur; utque Homines a facinoribus magis absterreantur. Atque ita & hæc Serpentis maledictio, & quasi punitio hunc finem habuit, ut primi Parentes magis peccati sui gravitatem agnoscerent.

Quod ad pœnæ genus atinet *supra pectus tuum gradieris, & terram comedes omnibus diebus vite tue*; non morabor hic scrupulosus, quod Josephus *lib. 1. Antiquit. cap. 2.* memoriæ reliquit, Serpentem initio Mundi pedibus incessisse, eorumque subinde privatione multatum esse. Hæc omnia nos inter fabulas recensemus; cum Deus propter peccatum, seu verius peccati occasione Serpentis naturalia non immutavit, qui nec Dæmonis, nec Hominis Naturam etiam propter peccatum mutatam voluit. Idcirco brevi repono, pœnas illas Serpentis gradiendi supra pectus suum, & comedendi terram, tamen ante peccatum Serpenti & gradi supra pectus, & comedere terram conveniret sine probro, & ignominia, in ignominiam tamen, & probrum versas esse post peccatum, ob illam Dei Vindictæ Maledictionem; ut jam nihil Serpente sit vilius: eo plane modo, quo nuditas, quæ ante peccatum non erat Homini pudenda, vel pœna, pœnæ deinceps rationem obtinuit in Protoparentibus post peccatum ab iis perpetratum.

Addit, nec immerito, D. Augustinus *lib. 11. de Genesi ad litteram cap. 36.*, Maledictionem in Serpentem a Deo prolata, in Diabolum etiam suo modo per Allegoriam, & Figuram recidisse; eamque ipsam Allegoriam a Sacro Scriptore potissimum intentam esse, servata nihilominus, atque retenta Historiæ veritate. Quemadmodum quæ *Numer. 21.* de Serpente Æneo habentur, quem qui aspicerent sanabantur, historice de illo Serpente Æneo, qui tunc a Moysæ erectus est, intelligenda veniunt; mystice tamen, & secundum Allegoriam, a Deo ipso multo magis intentam, de Christo pariter intelliguntur.

Jam exposita primorum Parentum Creatione, tem-

tempus est, ut de Statu, quo secundum Gratiam conditi sunt, differamus; gravissimisque Controuersias a Scholasticis Theologis agitari solitas expendamus. Erat hoc sequentis Exercitationis Argumentum.

PRÆLECTIO X.

Paradisum Terrestrem corporeum fuisse, sensibilem, & aspectabilem locum in peculiari, ac determinata Terre, quem incolimus, parte situm; non vero terram Orbem, vel in toto, qua late patet, terrarum Cœlo extensum, propugnatur.

Abolutis de primorum Parentum Creatione, ac Tentatione Exercitationibus Academicis, ad Paradisum voluptatis, in quo a Deo Conditor constituti fuerunt, sponte sua festinat Oratio. De hoc tacere nequaquam possumus, ne primarum felicitatis Statum parvi pendere videamur; nec diu de eo loqui satis expedit, quem breui temporis intervallo Protoparentes nostri tenuerunt. De eo ergo ita sermonem temperabimus, ut illum nos aliquando in Protoparentibus incoluisse meminimus, & ab illo nos in iis excidisse fatali iactura recordemur.

Sacrum illum primarum felicitatis Locum ita paucis describit Moyses *Genes. 2.* Plantauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis a principio in quo posuit Hominem, quem formarat. *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad ascendendum suarum: lignum etiam Vitæ in medio Paradisi, lignumque Scientiæ boni, & mali. Et Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde dividitur in quatuor Capita. Nomen uni Phison: ipse est, qui circuit omnem Terram Hevilat, ubi nascitur aurum: & aurum Terræ illius optimum est, ibique invenitur Balsamum, & Lapis Onyebinus. Et nomen Fluvii secundi Gebou: ipse est, qui circumit omnem Terram Æthiopia. Nomen vero Fluminis tertii, Tigris: ipse vadit contra Assyrios. Fluvius autem quartus, ipse est Euphrates.*

Locum hujus amœnitatem ad invidiam pene describunt Ecclesiæ Patres; maxime vero Tertullianus *Lib. de iudicio Dom. cap. 8.* Basilus Magnus *Hom. de Paradiso*; S. Joann. Chrysof. *Homil. 14. in Genesim*; S. Ambrosius *Lib. de Paradiso*; S. Augustinus *Lib. 2. de Genesim. contra Manichæos cap. 19. & 20.* ubi tamen Paradisi delicias ad Allegoriam etiam trahit; Sanctus Joannes Damascenus *Lib. 2. de Fide Orthodox. cap. 11.* quibus singularis elegantia flore subscribit Alcinus *Avitus in Carn. de peccato Originali Lib. 1.*

Hic Ver assiduum Cæli clementia servat,
Turbidus Austro abest, semperque sub aere
suo

Nubila diffugiunt, jugi cessura sereno.
Nec posse natura loci, quos non habet, im-
bras:

Sed contenta suo dotantur gemina vore.
Perpetuo viret omne Solum, terraque nitentis

Blanda nitet facies: stant semper collibus
herbe;

Arboribusque comæ: qua cum se flore fre-
quenti

Diffundunt, celeri solidant sua gemina suc-
co:

Nam quidquid nobis toto nunc nascitur an-
no,

Mensura maturo dant illic tempora fructu.

Lilia perlucet nullo flacciditate Sole,
Nec rutilus violat violas, vosumque ruborem
Servans perpetua suffundit gratia vultu;

Sic cum desit Hiems, nec torrida servecat
Æstas;

Fructibus Autumnus, Ver floribus occupat
annum.

Neque vero putandum, solis Ecclesiæ Patri- bus, aut etiam solis Hebræis, quibus tradita sunt Eloquia Dei, Paradisum voluptatis innotuisse. Peregrinum in prophanorum Scriptorum lectione esse oportet, qui non videat, Paganos ipsos Mosaicam illam Narrationem desolasse, suosque in Codices transfudisse, quæ de primorum Parentum felicitate initio Genesim enarravit. Equis enim nesciat, ex Paradiso Terrestri confectum ab Homero Hortum Alcinoui, uti plane demonstrat S. Justinus Martyr in *Cohortatione ad Græcos*? Quis ignorat, Hortum Jovis a Platone descriptum ex hujus Horti Allegoria expressum esse, uti jam pridem observavit Eusebius *Lib. 12. Prepar. Evang. cap. 11.* Quis non videat, auream Saturni Ætatem, a Poetis tam multis, ac presertim ab Hesiodo, & Ovidio ingeniose descriptam, ad primarum hujus felicitatis imaginem expressam esse; quod & jam tertio Christiani Nominis Sæculo probavit Origenes *Lib. 4. contra Celsum*? Ut plane perspicuum sit, prophanos ipsos Scriptores insignes Moysis plagiaris extitisse, suosque ex ejus Libris hortos non mediocriter irrigasse.

Duo tantum impræsentiarum querere juvat, quæ nostri potissimum Instituti videntur esse: primum; num Paradisus voluptatis corporeus quidam locus fuerit, oculis, ac sensibus subiectus; an potius quæcumque in Mosaicâ Paradisi descriptione referuntur, missa Litteræ proprietate, secundum meram Allegoriam accipi debeant? Alterum; an singularem quamdam Terræ partem occuparit Paradisus, an toto terræ Orbe diffusus esset?

Quod primum agendam Controversiæ Caput arinet, fuerit non pauci, iique magni Nominis Viri, qui nihil non allegoricum in hac tota Moysis Narratione subodorati sunt. Horum Chorum ducit Philo Judæus *Lib. de Opificio Mundi*, de quo Photius in *Bibliotheca* scribit, allegoricam exarantem Scripturæ rationem omnem ab illo, tanquam fonte, in Ecclesiâ promanasse. Ilum non longo secutus est intervallo Origenes Adamantius, qui, posthabita prorsus Moysis Littera, Paradisi Terrestri enarrationem ad meras Allegorias detorsit. Is etenim Paradisum non in Terra, sed in tertio Cælo posuit; ad quod scilicet raptus est Paulus: plantatas in eo Arbores. Virutes Angelicas interpretatur: Flumina Paradisum irrigantia aquas illas esse putat, quas supra Firmamentum fitas Scriptura memorat: nec demum veretur, illos velut Idiotas fugillare, qui Deum velut Agricola arbores plantasse sibi putant.

Cæterum stat ex opposito Patrum Cohors, qui Origenem ex Instituto, & data opera confutarant: S. Methodius apud Epiphanium *Lib. 2. heres. 64.*; Epiphanius ipse in *Anchirato*; Hieronymus *Epist. 8. ad Pammachium*; & in *Commentariis ad Caput 10. Danielis*; Ambrosius *Lib. de Paradiso*; Sanctus Joannes Chrysof. *Homil. 13. in Genesim*; Theodoretus *Interrogatione 25. in Genesim*; Augustinus *Lib. 8. de Genesim ad litteram cap. 1.*; Joannes Damascenus *Lib. 2. de Fide Orthodox. cap. 11.*; & alii bene multi, quorum

rum Testimonia minutatim recensere longum esset.

Et quidem, tametsi ea Scripturæ pars, quemadmodum & aliæ pene omnes, allegoricum sensum inducere possit; Litteræ nihilominus fidem integram, testamque servare debet, ne Divini verbi veritas excidat. Multa quippe a Moysè observantur, quæ Paradisum & sensibilem, & oculis aspectabilem locum esse satis innuunt, & proprium Litteræ sensum necessario postulant. Explicatissimum illud imprimis, quod *versu 9. Genesim. cap. 2.* legitur: *produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad ascendendum suarum*; quibus verbis & lignum sensibilitate aspectabile, & fructum, qui manducari vere posset, significari, nemo non videt: quod etiam tertii Capitis verba demonstrant, ubi dicitur: *vidit igitur Mulier, quod bonum esset lignum ad ascendendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit v. 6.* quæ si secundum Metaphoram duntaxat acciperentur, tota de primi Parentis peccato Ecclesiæ Fides excideret.

Accedit & illa quatuor Fluminum e Paradiso voluptatis scaturientium designatio: quæ Litteralem sensum necessario postulat. Horum quippe duo, Tigris scilicet, & Euphrates, suis etiam hodie nominibus cognoscuntur. Istud in Armenia ortum paulo post Assyriam perlabitur, quam ab Orientali sui parte abluit: illud Mesopotamiam, finitimasque Regiones decurrit. Cætera duo, Phison, & Geheon, pro Gange, ac Nilo ab aliquibus accipiuntur. Porro, si Flumina vera sunt, ac minime figurata, quidni etiam & alia de Paradiso enarrata?

Demum Adamus extra Paradisum conditus dicitur, tum in illum inductus, ac tandem ab eodem in peccati penam ejectus; quæ omnia Paradisum locum corporeum, ac terrestrem esse, plus æquo demonstrant. En quod primum propositæ Difficultatis Caput atinet de Paradiso corporeo, sensibili, aspectabili.

Non abimili facilitate confutatur, qui Paradisum Terrestrem non locum aliquem peculiarem esse putant, sed eo nomine universam Terram floribus, & arboribus in prima sui creatione constitam intelligi fabulantur. Quorum enim, si ita est, Paradisum in Orientem situm dixisset Moyses, cum Terra, qua late patet, æque ad Orientem, Occidentem, Aquilonem, atque Meridiem distendatur? Quorsum Adamus e loco, in quo conditus erat, in Paradisum adductum, ac tum ab eodem eiectionem significasset? An enim e terra Globo eiectionem Adamus fingi potest? Quorsum post eiectionem Adamum positus est a Domino Cherubinus, ut Mortales a Paradiso ingressu procul arceret? An enim a Globi terrestri ingressu arcerentur Homines? Quorsum Deus Fluvium e Paradiso voluptatis egressum universam Terram irrigare monuisset, si Terram ipsam universam Paradisus occupasset? Sit certe non solum Mente, sed & Sensu captus oportet, qui hæc pertinaciter propugnaverit.

Jam quid Origeni, cæterisque Fabulatoribus ad ea, quæ consultavimus, statuenda suus Genius aspiraverit, videamus. Stolidæ, & ignaræ nugacitatis est, inquit Origenes, Hortum a Deo floribus, & arboribus constitum esse, quasi is Orbem condens Agricola egerit. Quasi vero Deum agricolam sibi fingere necesse sit, ut Hortum plantasse dicatur; tanquam si secundum rei hortensis leges, & instar Alcinoui, Arbores in quinque direxerit; Buxum, ne libere cresceret, ad formam securit; Vites adrepentes tignis in formam composuerit, arces etiam probe descriptis,

& admota operi manu. Absit, ut ista fingamus: Paradisum Imperiali voce, ac nutu solum a Deo plantatum; seu conditum propugnatum, dum ait: *germinet Terra herbam viventem, & facientem sementem. . . . & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum Genesim 1. v. 11.* Quæ in re tantum abest, ut quidquam Divina Majestatis indignum reperire liceat, quin potius supremæ Virtutis, ac Dignitatis argumentum resplendeat.

Verum, addit Vir eruditus, Moysen *cap. 3.*, Deum representare deambulantem in Paradiso ad auram post meridiem; quod certe secundum figuram dictum est; cum Deus (utpote qui Spiritus est) obambulare non possit. Recte id quidem: est illa profecto locutio figurata: at quis etiam nesciat, consequens non esse, ut integra Narratio ad Allegoriam flectatur, propterea quod in ea quædam fortassis occurrant, quæ non nisi per Allegoriam dicta sunt; cum veris plerumque Historiis nonnulla figurate dicta interferantur? Rei exempla dedimus jam pridem, dum de Augustini Sententiâ diceremus, qua Mundum brevi temporis tractu conditum voluit. Sic narratio (inquirebamus) de Lazaro mendico, & divite Epulone, *Luce cap. 16.*, Judicio Sanctorum Patrum Historica est, extritque re ipsa in vivis aliquando mendicus nomine Lazarus, qui de micis & Divitis mensa cadentibus futuris cupiebat: at tamen non nisi secundum Allegoriam accipi potest, quod eadem in Historia legitur, divitem Epulonem in Inferno tandem sepulchrum Abraham compellasse, ut Lazarum e suo sinu mitteret, qui intincto in aqua digito lingue ejus ardorem resingeret. Non asimiliter, inquirebamus: Historica plane Narratio est de Rege Achab *3. Reg. cap. 22.*: non id tamen obest, quominus aliquid infernum legatur, quod non nisi secundum Allegoriam accipi potest; quale est Concilium a Deo in Cælis habitum cum Angelis suis, ubi Diabulus comparuerit, exposueritque, quid demum futurus esset, ut deciperet Achab. Nihil itaque vetat, Historiam Paradisi Terrestri secundum Litteram accipi, per Figuram tamen, & Tropum intelligi, quod de Dei deambulatione ibidem obiter inscriptum est.

Quidni quoque dicamus, Deum humana specie indutum, qua se Protoparentibus visibilem exhibuit, aut etiam Angelum in assumpto corpore Dei vices agentem in Paradiso Terrestri deambulasse; ut & illa quoque Narrationis Mosaicæ pars secundum Litteram accipiatur?

Sed neque feliciter coniectatur Origenes, dum Apostoli locum in sua Causa præsidium usurpat *2. ad Cor. cap. 12.*, ubi Paulus se ad tertium usque Cælum, quod & ibidem Paradisum appellat, raptum ait; unde Paradisum voluptatis tertio in Cælo conditum colligit Adamantius, atque idcirco minimis aspectabilem fuisse contendit. De altero quippe Paradiso, quam Terrestri, locutum Apostolum Patres docent; qui illum vel in Cælestem Patriam, ubi Dei Conspectu Anima perfruatur, raptum existimant; vel in quemvis locum alterum, ubi arcana Dei degustaverit, translatum opinantur. Et quidem usque adeo illud Origenis Interpretamentum absolum est, ut etiam si Paradisum Terrestrem mystice sumendum putaremus, nunquam tamen tertium Cælum Paradisi Terrestri nomine designari crederemus. Quis enim Bruta omnia animantia in tertium Cælum ad Adamum adducta sibi fingat, ut ea omnia propriis nominibus insigniret? Quis e tertio Cælo Flumina universam Terræ faciem irrigantia erumpere fabuletur? Quæ tamen omnia de Paradiso Terrestri Moyses narrat. Nihil itaque eo Origenis Adamantii Fingimento absurdum magis.